



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 44. Acta Parifinæ Facultatis Theologicæ cica Caonstitutionem Unigenitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

§. XLIV.

Sæc. XVIII.
A. C. 1730.*Acta Parisinæ Facultatis Theologicæ
circa Constitutionem Unigenitus.*

Fluxerat annus hujus sæculi trigessimus, quo Facultas Theologica Parisiensis die secunda Januarii sua habuit comitia, in quibus prælecta fuere decreta duo, quorum primo die prima Decembris anni præteriti decernebatur, *decretum acceptationis die quinta Martii Anno 1714. a S. Facultate Parisiensi factæ esse publicum, solemne & legitimum*, altero autem Deputatorum relatio unanimi suffragio confirmabatur. Reclamabat tamen Magister Catherinetus, suæque oppositionis testimonium Syndico tradidit his verbis conceptum: *Ego infra scriptus Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, socius Sorbonicus intercedo Conclusionibus lectis, eoquod interjecta appellatione ab octoginta quatuor Magistris ad supremum Senatum, cujus instrumentum significatum est V. D. Decano, Magistro de Remigny & Scribæ, ut denuntiarent præsentibus Doctoribus, quod causa illa pendeat apud supremum Tribunal, atque, in præjudicium appellationis hujus terminari non possit, ut jam in ultimis Comitibus declaravi; cujus quidem intercessionis meæ Actum & instru-*

Sæc. XVIII. *instrumentum postulo. Datum in comitiis ordinariis Sacræ Facultatis anno millesimo septingentesimo trigesimo, die secunda Januarii. Signatum Catherinet.*

Verum S. Facultas decrevit, nullam omnino habendam esse rationem hujus oppositionis, illamque nullam esse, & hunc Magistrum pœnam in diffidentes latam incurrisse: Eadem adhuc die alii sexdecim Sorbonæ Doctores, qui partim ob adversam valetudinem, partim ob negotia prioribus comitiis non intererant, se Facultatis decretum de acceptata Constitutione pro vero ac genuino agnoscere palam declarabant, scriptumque factæ suæ acceptationis testimonium sibi consignari petebant; quod & eorum precibus lubenter datum est. His ita peractis Syndicus habita oratione ad congregatos Doctores ita perorabat.

*Venerabilis Domine Decane,
Sapientissimi Patres.*

„Est magna apud omnes bonos, qui
„de re Catholica recte sentiunt, maxi-
„me vero apud eos ex hoc Ordine Ma-
„gistros, qui varias nostræ Galliæ Diœ-
„ceses incolunt, expectatio legendi De-
„creti, quod in ultimis Comitiis vestra
„tulit auctoritas, hodierna confirmæ-
„bit.

„bit. Jam diu, quod a vobis nuper Sæc. XVIII.
 „tanta animorum consensione fanci- A. C. 1730.
 „tum est, votis ardentibus exposcebant,
 „moleste ferentes, dolentesque vehe-
 „menter, dum recogitabant corde, at-
 „que animo revolvebant ea omnia, quæ
 „post Ludovici XIV. triumphantis me-
 „morix obitum nebulosis temporibus
 „in hoc Ordine contra fas omne ten-
 „tata fuerunt & peracta, nondum esse
 „a vobis strenue ac fortiter reparata;
 „laborat idcirco semper sinistra fama
 „apud Catholicas gentes verendum
 „sacrx Facultatis Parisiensis nomen.
 „Urgebant nos itaque longas incre-
 „pando moras; ubi autem verbum,
 „quod apud nos istis diebus factum
 „est, acceperunt, tum enimvero læ-
 „tari in Domino, gratulari sibi & vo-
 „bis, restitutum honorem sacri Ordinis
 „nostri, assertam veritatem, cautio-
 „nes adhibitas plenas sapientix. ne
 „deinceps tales turbæ in hoc Ordine
 „orientur. Inde Deo præpotenti tan-
 „torum bonorum auctori immortales
 „gratiarum actiones non cessant repen-
 „dere.
 „Verum insuper (ut fidem faciunt
 „literæ, quas ex variis jam accepi lo-
 „cis) aliquid postulant ulterius, quod
 „nobis certe honorificum valde est &
 „erit

Sæc. XVIII. „erit ad corroborandum, firmandum
 A. C. 1730. „que, quod præstitimus, maximi pos-

„deris adjumentum: Scilicet Decretum
 „vestri ultimi ad se exemplaria mitti
 „petunt, ut ad Decretum vestrum accedentes,
 „sua vestris suffragiis adjungant suffragia. Tunc patebit
 „facto dissidentium nostrorum paucitas & quænam
 „esset mens sacræ Facultatis, si in unum Magistri omnes
 „congregati circa præsens negotium loquerentur.
 „Patebit rem parum suæ causæ deploratæ faventem
 „præstitisse eosdem Magistros dissidentes, dum ad
 „fucum faciendum, animosque commovendos, unde-
 „quaque parte satagunt nomina Magistrorum qui
 „suis subscribant famosis libellis, atque ad augendum
 „catervæ suæ numerum, nonnullos Magistros addunt,
 „vel qui jus suffragii non habent, vel qui scripto
 „declarant, se talibus instrumentis subscripsisse
 „nunquam.

„Sed Patres Sapientissimi, non debent mandari
 „typis Decretum vestrum, quantumvis optimum,
 „nisi in fronte & in limine Acta, quæ a quarta
 „Novembris modo præteriti præcesserunt, reponantur,
 „imprimis vero Relationum vestrorum nomine.
 „Verum, ut in lucem prodeat istud opus, necesse
 „est

„ est, ut ad mentem vestræ Conclusio- Sæc. XVIII.
 „ nis, iterum a Deputatis expendatur; A. C. 1730.
 „ neque enim aliquid juris publici fieri
 „ debet jussu vestro, nisi tale sit quod
 „ vestri Ordinis famam ac dignitatem
 „ referat. Id præstabunt quam primum
 „ mandatis vestris obsequentes pro suo
 „ solito studio sapientissimi Deputati.,
 „ Deerit inter illos proh dolor? qui
 „ totius operis præcipuus auctor fuit,
 „ Deputatorum antiquior, quem su-
 „ nere acerbo hisce diebus amissimus,
 „ jactura certe gravi, nec lugenda satis.
 „ Audita ejus Relatione, in nostris ul-
 „ timis Comitibus meritas ipsi laudes &
 „ gratias ultro rependimus; nunc vero
 „ feralis ille casus, quo nobis quinque
 „ dierum spatio tam intempestive erep-
 „ tus est, nostras lacrimas reposcit.
 „ Flebilis ille quidem Bonis omnibus
 „ occidit, sed nulli Ordini flebilior quam
 „ nostro, cujus erat, & erit semper
 „ eximium ornamentum. Tanta erat
 „ verborum ejus in Comitibus nostris au-
 „ toritas & gratia, & adeo suavi pol-
 „ lebat eloquio, adeo splendido nitore
 „ amantem veri mentem suam expone-
 „ bat, ut facile ad se raperet animos,
 „ eosque, vi blanda, ad suam plenam
 „ judicii amplectendam sententiam ad-
 „ duceret. Præditus omnibus ingenii
 „ dotibus, sua singulari eruditione in-
 „ „ lignis

Sæc. XVIII, „signis. meritis conspicuus, apud Ma-
 A.C. 1730. „gnates viros magno positus in loco,
 „jamque a multis annis amplissima
 „fruens fama sui, alienus erat prorsus,
 „qui sibi inde aliquid arrogaret; vir
 „convictu facilis, suavissimæ indolis ac
 „beneficæ, nocere cuiquam nescius,
 „studens prodesse cunctis. „

„Hinc factum est, Patres Sapien-
 „tissimi, ut cum per tot annos, plenam
 „faciens disciplinam doctrinæ suæ, &
 „mittens sapientiæ suæ eloquia sicut
 „imbres, publicis in Scholis Theolo-
 „giam docuisset, Doctor eximius, quo
 „nullus melior usquam extitit, atque
 „jam donatus rude, parta quiete non
 „inglorius frui posset; cedens tamen
 „votis amicorum ac precibus, ut fie-
 „ret utilis, reluctantem ne quidquam
 „modestia, ingravescente ætate, otium
 „suum communi apposuit lucro, ut
 „quos olim tradiderat codices, a se
 „recognitos, novisque locupletatos
 „additamentis, publici juris faceret,
 „& laboriosum istud opus aggredere-
 „tur, quo sensim ac sine sensu vires e-
 „jus attritæ sunt & exhaustæ, donec
 „instar Apis studiosæ vitam ipsam pul-
 „chro sub fasce relinqueret. „

„Cum ergo talentum doctrinæ &
 „ingenii, quod acceperat ad usuram
 „posuerit, atque egregiam, ad ulti-
 „mum

Sæc. XVIII:
A. C. 1730.

„mum usque vitæ halitum, pro Ec-
„clesiæ bono operam navaverit, ne
„dubitemus, quin cum ipso bonorum
„operum remunerator Deus misericor-
„diter egerit, non intrans in iudicium
„cum servo suo. Libri autem, quos
„tanto studio defunctus magister ad rei
„litterariæ ornamentum, ad Ordinis
„nostri decus & gloriam, ad Schola-
„rum Theologicarum commodum &
„utilitatem typis edidit, laudem ejus
„enuntiabunt in Ecclesia, præstabit-
„que, ut non recedat memoria ejus,
„sed nomen ejus requiratur a genera-
„tione in generationem.,,

„Hæc pauca de viro nobis omni-
„bus charo hic a me cum vestra ve-
„nia dici posse duxi, hac occasione
„data: Arguendus alioquin a vobis,
„si omnino tacuissem; excusandus au-
„tem, si, quod in gravi luctu & mærore
„fieri aliter vix potest, non pro digni-
„tate rei locutus sim.,,

§. XLV.

*Sacræ Facultatis decretum contra Do-
ctores refractarios.*

Hanc Syndici orationem S. Facultas
plurimum commendabat, eamque
Sorbonæ tabulis esse inserendam de-
cernebat, eo potissimum nomine, quod
Hist. Eccles. Tom. LXXIII. N Syn-